

213.



Disputatio X V.
DE CRIMINE
falsi.

Q V A M,
Deo clementer adiuuante,

P R A E S I D E

CLARISSIMO
ET CONSULTISSIMO VIRO
DN. HENRICO BOCERO, V. I. D.
*& Professore, in illustri Tubingensium Academia, celebra-
tissimo, Praeceptore suo hono-
rando,*

ORDINARIII EXERCITII CAUSA,
horâ & loco consuetis, pro ingenij tenui-
tate defendet

M MICHAEL BERINGER,
Ulbacensis.



TUBINGA,
Apud Georgium Gruppenbachium.
M. D. XCVIII.

VH



17

Deputatio X V

DE CRIMINE

Pro reus inter admittit

CLARISSIMO

ET CONSULTISSIMO

Dr. Henrico Boero V. D.

Professore in iuris legibus, etc.

Legum, etc.

et

ORDINARI EXERCITII CAUSA

hinc de loco contractu prosequitur

et delictis

M. MICHAEL BERINGER



18

Typis

M. D. XVII



Disputatio XV.

DE CRIMINE FALSI.

THESIS I.



CRIMEN falsi (a) est publicum maleficium, (b) quo quis veritati occultandæ, (c) in damnum alterius (d) dolosè (e) operam tribuit. Iura hunc falsarium appellant. (f)

a) Falsi crimen dicitur in l. 2. l. falsi §. 1. eum 14. C. ad l. Corn. *1. 3. 2. f. d. m. p. r. 1. 20. ff. 3.* de falsis, & in Rubric. Decretal. de crimine falsi. (b) l. 1. ff. de publico iudic. (c) Nouell. 73. in princip. & arguunt omnia exempla falsi proposita sub tit. ff. & C. ad l. Cornel. de falsis. (d) Iul. Clar. lib. 5. sentent. § falsum, num. 35. Didac. Couar. ad c. Quamuis, tit. de pactis in 6 part 1. §. 7. num. 6. Andr. Gerl. lib. 1. obser. practice. 100. num. 7. & Menoch. lib. 2. de arbitr. iudic. cent. 4. casu 306. num. 14 (e) l. 1. in princ. ff. ad l. Cornel. de falsis, & l. Nec exemplum. 20. C. eod. tit. Menoch. lib. 2. de arbitr. iudic. cent. 4. casu 309. num. 1. (f) l. 1. §. qui in rationibus 4. ff. d. t. & c. ad falsariorum extra de crimine falsi.

II.

In falsi crimine duplex inspectio incurrit: vna de speciebus falsi, altera de modo & via litigandi de falso.

III.

Species falsi duæ sunt: Est enim aliud falsum proprium, aliud quasi falsum.

l. 1. §. vlt. ibi poena falsi vel quasi falsi ff. ad l. Corn. de falsis, & l. penultim. ibi, quasi falsarios C. de probat.

IV.

Propriè falsum est, quod lex Cornelia testamentaria, & lex Cornelia nummaria coercent.

Cuiac. ad Iul. Paul. lib. 5. sentent. tit. 25. ad l. Cornel. testam. in princ.

V.

Lex Cornelia testamentaria (a) coercet falsum in eo, qui aut falsum testamentum scripsit, recitauit, subiecit, signauit, aut verum Testamentum celauit, amouit, resignauit, deleuit, (b) aut signum obsignandis testamentis annulum uè adulterinum fecit, sculpsit. (c)

a) Ita vocatur hæc lex in l. lege Cornel. 30. ff. h. t. & in §. Item lex Cornelia, *V u 2 de falsis*



de falsis, *Instit. de pub. iudic. appellatur item lex Cornelia de testamentis in l. 1. ff. de public. iudic. (b) l. 2. ff. ad l. Cornel. de falsis. l. 2. l. eum qui 14. l. de fide 16. l. pen. & ult. C. eod. t. Paul. lib. 4. sentent. tit. de lege Cornel. in princip. & lib. 5. sentent. tit. 25. ad leg. Cornel. testamentar. in princ. vbi Cuiac. (c) d. l. l. Cornelia 30. in princ. ff. ad l. Cornel. de fals.*

VI.

Eadem lex & ipsum notat, qui sciens dolo malo aliquid eorum fieri iussit, faciendum uero curauit.

d. l. 2. ff. eod. tit. Iul. Paul. lib. 4. tit. 7. §. 1.

VII.

Quod de testamento diximus, de Codicillis quoque exaudiri volumus.

l. Senatus 5. ff. h. t. l. si falsos 8. & l. seq. l. si quis 21. C. eod. tit. l. 1. §. Hoc interdictum ff. de tab. exhib. Iul. Paul. d. t. 7. §. Codicilli quoq.

VIII.

Et notat hæc lex eum etiam, qui viui testamentum vel codicillos aperuit, recitauit, resignauit.

l. 1. §. 15. qui aperuit ff. ad l. Cornel. de falsis l. si quis aliquid 38. §. Qui viui. ff. de pœnis.

IX.

Lex Cornelia nummaria (a) eos cohrecet, qui nummos adulterant, tingunt, fingunt, circumcidunt, radunt, qui que adulterinos flant, feriunt, (b) & qui monetam probam vultu principum signatam in contractibus suscipere renuunt. (c)

a) Marc. Tull. 3. Verr. Cuiac. ad Iul. Paul. lib. 5. tit. 25. in princ. & in parat. Cod. tit. de falsa moneta (b) l. quicumq. 8. & l. seq. & l. qui falsam 19. ff. ad l. Cornel. de fals. l. 1. & l. 2. C. de falsa moner. (c) Iul. Paul. lib. 5. sentent. tit. 25. ad l. Cornel. testament. in princ. l. 1. C. de veteris numismatis potest. libr. 11.

X.

Notat eadem lex etiam illos, qui priuatim, etiam ex principis permisso, monetam licet probam feriunt.

l. ultim. C. de falsa moner.

XI.

QVASI falsum est, quod ipsa quidem lege Cornelia de falsis non coercetur, eiusdem tamen legis pœna ex Senatusconsultis vel constitutionibus plecti iubetur.

d. l. pen. C. de probationib. l. eos 27. & l. si quis 29. ff. ad l. Cornel. de falsis l. p. 7. C. eod. Cuiac. ad Iul. Paul. lib. 5. sentent. tit. 25. in princ.

Eius-

XII.

Eiusmodi est falsum, si quis, cum adhibitus & aduocatus esset, ad scribendum alienum testamentum, in eo sibi vel hereditatem vel legatum, vel fideicommissum, vel libertatem, vel quod aliud emolumentum adscripsit, dictante, volente & iubente testatore.

10r. tit. C. de his, qui sibi adscribunt in testam. l. 1. §. ad testamenta militum. l. 4. in princ. l. 6. l. de eo 10. & l. seq. l. filius 14. & l. seq. l. cum quidam 17. & l. seq. l. impuberem 23. §. 1. & seqq. ff. ad l. Cornel. de falsis.

XIII.

Eiusmodi quoque falsum committit, qui extra testamentum, vel codicillos, alijs instrumentis, vel rationibus, tabulis, cereis uel, aut qua alia re falsum facit, aut fieri curat.

l. 1. §. Qui in rationibus l. lege Cornel. 9. §. poena legis Cornelia & l. Instrumentorum, §. 1. & §. 2. ff. ad l. Cornel. de falsis l. 2. l. ipse 7. l. filius 11. l. qui veluti 13. Cod. dict. tit.

XIIII.

Vnde qui rationes, acta, libellos, album propositum, testationes, cautiones, chirographa, epistolas, sciens, dolo malo in fraudem alicuius deleuerit, mutauerit, subiecerit, subscripserit, quasi falsum commisisse dicetur.

l. Quid sit falsum 23. l. qui nomine 25. l. si quis obrepserit 29. & l. pen. ff. ad l. Cornel. de falsis l. qui veluti 13. & l. penult. & vlt. C. eod. tit. Iul. Paul. libr. 5. sent. tit. 25. ad l. Cornel. testament. §. qui rationes. Damhoud. in praxi rer. crim. cap. 122.

XV.

Proindeque & hic quasi falsarius erit dicendus, qui SACRA BIBLIA D. LUTHERI multâ operâ, studio & labore versa, illustrata & edita, malitiosè adulterant, & nihilominus sub nomine D. LUTHERI in publicum protrudunt.

Per dict. l. Quid sit falsum 23. & d. l. qui nomine 25. ff. ad l. Cornel. de falsis & tradita Iodoci Damhouder in praxi rer. criminal. d. cap. 122. facit huc definitio falsi tradita ab Azone ad Rubr. c. ad l. Cornel. de falsis, quæ hæc est: Falsum est dolosa veritatis mutatio. Quid porro de eiusmodi falsarijs ipse D. Lutherus, qui dū adhuc in viuis esset, aliquid eiusmodi criminis expertus esset, senserit, ex eiusdem verbis constare potest. Cum enim Martinus Bucerus D. Lutheri Postillam latinam in linguâ Germanicam transtulisset, & caluinianum virus tacitè ibidem infarsisset, id Lutherus grauissimè tulit, eamq; sibi illatam iniuriam hisce verbis conquestus est: Im Buch/das die Wort: Das ist mein Leib/noch fest stehen. s. Desselben gleichen mein aller bestes Buch / das ich je gemacht habe / die Postillen / welche

B u 3 auch

DISPUTATIO DE

4
 auch die Papisten gern haben/ hat er mit Vorreden/ vnderreden/ vnd einreden
 auch also zugericht / daß vnder meinem Namen diese lästerliche / schändliche
 Lehr weiter bracht vnd geführt würdt / dann vñleucht durch all etwer Bücher.
 Was soll ich thun? wie kan ich der sachen nun rathen? Ich muß haben / als
 hett mich ein Hund gebissen / ich habß mit vorreden gestrafft / aber was hilffts?
 Der Teuffel sahe wol / daß diß Buch durchtrang allenthalben / darumb er-
 greiffet er dasselbige / lud vnd schmierdt seinen Dreck darauff. Vñnd
 ich vnschuldiger Mann muß also des Teuffels Dreckführer sein/
 ich wolle oder wolle nicht. Et mox: Wenn ich ein Christin were / so
 were ich gesinnet / daß mir einer lieber den Hals absteche / dann solche stück-
 lin beweiset / da ich mit meinem Buch muß den Seelen Gift fürtragen/
 vnwissens vnd vnwillens. Also gach ist den Leuten / vñnd ihrem Teuf-
 fel mit ihrem Irtsall / daß sie auch durch frembde Bücher denselbigen außbrei-
 ten / gerad / als weren der Bücher zu wenig / damit sie jetzt die Welt täuben wol-
 len / was sollt nach meinem Tod geschehen? das thut man mir bey mei-
 nem Leben / vñnd läßt mich hie zu Wittenberg sitzen vñnd zusehen. Vñnd bald
 hernach: Wir bitten sie (die Sacramentierer) wollen solche Stück zuvor auß
 ihrem Mittel thun / vñnd nicht vñdersich leiden / ehe dann sie sich so gar helle
 brennen / vñnd das Maul wischen / dann es stehet heiligen Leuten vbel an / solch
 Erzbubenstück vñnd Teuffelische stücklin zubeweisen. *Huc vsq; verba Lu-
 theri. Vide etiam D. D. Iohan. Georg. Sigvardum de Neustadiana, Anno 1587. &
 Facultatem Theologicam Vvittebergicam de Herborniana Anno 1595. à Calui-
 nianis adornat a & adulterat a editione Bibliorum Diui Lutheri.*

XVI.

Quasi falsum committunt etiam, qui falsas testationes facien-
 das, testimoniaue falsa inuicem dicenda dolo malo coeunt; (a) qui
 item ob instruendam aduocationem, testimoniaue pecuniam acci-
 pit, aut paciscitur: vel societatem ad innocentium obligationem co-
 ire dicitur. (b)

a) *l. 1. in princ. & l. lege Cornelia 9. §. pen. vers. Item qui falsos ff. d. s. & l. eos
 qui 27. in princ.* (b) *d. l. 1. §. 1. l. falsi poena 20. ff. eod. tit.*

XVII.

Sic pro falsario habendus est testis, qui in parte verum, in parte
 falsum malitiosè testimonium dixit: proindeq; & ille, qui in sua de-
 positione sibi est contrarius, quiq; diuersis in iudicijs contraria
 deposuit.

Perl.

C R I M I N E F A L S I .

160.

per l. eos 27. in princ. ff. ad leg. Cornel. de falsis. l. qui falso 16. ff. de testibus. Menoch. lib. 2. de arbitr. iudic. cent. 2. casu 108. num. 2. & seqq. Mynsing. 2. obs. 86.

XVIII.

Similiter quasi falsarius est, si quis ob renunciandum remittendum uel testimonium, dicendum vel non dicendum pecuniam accipiat. (a) Vel contra suum signum testimonium præbeat, aut diuersa duobus testimonia præbeat. (b)

a) d. l. 1. §. sed & si quis 2. ff. eod. tit. (b) d. l. eos qui 27. §. 1. ff. d. t.

XIX.

Est item quasi falsum, si iudex constitutiones Principum neglexerit, (a) ut & si quis iudicem corrumpat, (b) vel constitutionibus falsis, nullo autore habito utatur, (c) vel precibus falsis rescriptum, vel quod simile impetret. (d)

a) l. 1. §. sed & si iudex ff. ad leg. Cornel. de falsis. (b) l. 1. §. sed & si quis 2. l. qui duobus 21. ff. d. t. (c) l. ultim. ff. eod. tit. (d) l. si quis obrepserit 29. ff. h. t. & l. 4. C. eod. t. Menoch. libr. 2. de arbitr. iudic. Cent. 4. cas. 314. num. 9. & seqq.

XX.

Quasi falsarijs & eum adiungimus, qui instrumenta apud se deposita, vel sibi ut procuratori commendata aduersarijs eius, qui deposuit vel commendauit, prodat. (a) Qui item partem supponit, (b) qui duobus in solidum rem eandem diuersis contractibus vendit, (c) & qui debitum in fraudem creditoris facit, ut posterior pignoris obligatio priorem tempore præcedat. (d)

a) d. l. 1. §. is qui deposita ff. d. t. l. si quis aliquid 38. §. si quis instrumentum, & §. seq. ff. de pænis. (b) l. qui falsam 19. §. 1. & l. lege Cornelia 30. §. 1. ff. eod. tit. l. 1. l. cum suppositi 10. Cod. h. tit. (c) d. l. qui duobus 21. ff. h. tit. (d) l. si à debitore 28. ff. d. t.

XXI.

Numeramus item inter quasi falsarios, qui mensuras publicè probatas vini, frumenti, vel cuiuslibet rei in fraudem alterius corrupit.

l. pen. §. 1. ff. ad l. Corn. de falsis Men. lib. 2. de arbitr. iudic. cent. 4. casu 317.

XXII.

Notarius item quasi falsum commisisse præsumitur, quando debitas in instrumento solennitates omisit.

Per text. in l. iubemus 29. in fine, ubi arg. Sich. & alij C. de testam. Iul. Clar. lib. 5. §. falsum num. 19.

ER

DISPUTATIO DE

XXIII.

Est præterea quasi falsarius, qui falsum nomen sibi vel cognomen assumit, & se alienis familijs inserit, genus, parentes fingendo, quò quid intercipiat possideatue, (a) vt & ille, qui insignibus illicitis veluti altioris ordinis aut falso diplomate utitur. (b)

a) *l. vnica C. de mutatione nominis l. falsi nominis 13. in princ. ff. ad leg. Cornel. de falsis. Iul. Paul. lib. 5. sentent. tit. 25. §. si quis ibi, vbi Cuiac. Menoch. lib. 2. de arbitr. iudic. cent. 4. casu 318. (b) l. eos qui 27. §. vlt. ff. ad l. Cornel. de falsis. Menoch. d. lib. 2. casu 320.*

XXIV.

Nunc de VIA & MODO litigandi de falso. Potest autem quis vel ciuilitè vel criminaliter de falso litigare.

l. falsi 5. l. si docueris 9. l. si lis 11. l. de fide 16. & l. seq. l. pen. c. ad l. Cornel. de falsis. l. vnica. in fine c. quando ciuili actio criminali præiudicet.

XXV.

CIVILITER vel agendo, vel restitutionem in integrum petendo, vel excipiendo & replicando.

XXVI.

Qui enim nomine prætoris literas falsas reddidisse, edictumue falsum proposuisse dicitur, ex causa etiam actione in factum pœnali tenetur.

l. qui nomine 25. ff. ad l. Cornel. de falsis.

XXVII.

Qui item venditor aut emptor mensuras publicè probatas vini frumenti, vel cuiuslibet rei corruptit, doloue malo fraudem fecit, quanti ea res est, eius dupli actione tenetur.

l. pen. §. 1. ff. d. t.

XXVIII.

Quòd si ex falsis instrumentis transactio interposita sit per acceptilationem, deceptus restitutionem in integrum contra aduersarium petere potest, (a) vt transactio illa retractetur. (b)

a) *arg. l. diuus 33. ff. de re iudic. & l. pen. §. 1. ff. de integ. restitut. Glos. & Donell. ad l. pen. n. 3. C. de transact.* (b) *d. l. pen. C. d. t.*

XXIX.

Similiter sententia ex falsis instrumentis vel testimonijs falsis lata per restitutionem in integrum retractari potest.

l. Diuus

C R I M I N E F A L S I.

l. Diuus 33. ff. de re iud. Probantur autem falsa testimonia, si probetur testes pecuniâ fuisse corruptos, uti arguit lex iam alleg. Et docet Donell. ad l. pen. num. 6. C. de transaction.

X X X.

Si quis falsitate cuiusdam ad dandum vel faciendum obligatus sit, exceptione doli se tueri poterit.

Baldus hanc falsi exceptionem appellat, in dict. l. si lis 11. & l. seq. n. 2. & l. ubi falsi. n. 2. C. ad l. Cornel. de falsis. Esse autem hanc doli exceptionem patet ex l. 1. l. 2. & t. r. ff. de doli mali & metus except.

X X X I.

Quòd si quis actionem suam falsò deceptus transactione citra acceptilationem facta remiserit, veteri illa actione suum debitum petere potest, cui si exceptio pacti opponatur, parata est ei contrareplicatio doli.

l. sub prae-textu 19. C. de transaction.

X X X I I.

C R I M I N A L I T E R litigatur de falso, cum quis expetens publicam vindictam, falsi crimen ipsi falsario criminali in iudicio intendit.

l. pen. C. ad leg. Cornel. de falsis.

X X X I I I.

In hoc criminali iudicio falsi spectamus tum accusationem & probationem falsi; tum rei defensionem, tum etiam poenam falsi, quæ reo non defenso sed conuicto imponitur.

X X X I V.

Accusatio falsi per procuratorem fieri non potest, sed præsentia tam accusatoris, quàm rei necessaria est.

l. de fide 16. C. ad l. Cornel. de falsis.

X X X V.

Et suppositi partus accusatio non cuius de populo, sed his tantum, ad quos ea respicit, iure permittitur.

l. lege 30. S. 1. ff. ad l. Cornel. de falsis. l. cum suppositi 10. C. eod. t.

X X X V I.

Seruus licet aliàs accusator idoneus non sit, attamen si suppressæ sint tabulæ testamenti, quibus libertas ei relicta est, de falso accusare potest etiam dominum suum.

l. nullo 7. ff. d. t. & l. vix certis 53. ff. de iudicijs.

X x

Fœmina

107

Fœmina quoque ad accusationem falsi admittitur, si ad eam hæc res pertineat.

l. & si 19. C. ad leg. Cornel. de fals.

Probationem quod attinet, acerrima fieri debet indago argumentis, testibus, scripturarum collatione, alijsque vestigijs veritatis. Nec probationis tota necessitas accusatori tantum indicatur, sed & ipse iudex inter utramque personam sit medius, (a) & si de fide & falsitate instrumenti agatur, probatio fidei instrumenti ei primitus incumbit, qui scripturam obtulit, deinde ei, qui falsum arguere paratus est. (b)

a) *l. ubi falsi 22. C. ad leg. Cornel. de falsis.* (b) *l. vltim. C. d. t.*

Quod si etiam causa poposcerit, reus quæstioni subijci potest, etiam si in dignitate decurionatus positus fuerit.

l. si quis decurio 21. C. eod. tit. aliàs regulariter non torquentur decuriones l. decuriones 16. & l. seq. C. de quæst.

Defensiones rei variæ sunt, veluti si accusator ex testamento, quod falsum dicit vel hereditatem adiit, vel legatum accepit, vel quoquo alio modo testamentum illud agnouit, non ignorans id falsum esse, (a) item si reus errore inductus protulerit falsum instrumentum. (b) Si item de falsi crimine sit transactum inter accusatorem & reum, (c) ut & si viginti annorum præscriptione querela falsi exclusa sit. (d)

a) *l. 3. ff. ad leg. Cornel. de falsis. & l. 3. C. eod. t.* (b) *l. diuus 31. ff. dict. tit.* (c) *l. transigere 18. in fin. C. de transact. l. ipse significas 7. C. ad leg. Cornel. de falsis. vide fundamenta ad thes. 17. disp. vlt. sub classe 1.* (d) *l. querela 12. C. ad leg. Cornel. de falsis.*

Restat de PœNA falsi, quæ varia est. Qui enim falsum testimonium dolo malo dixit, quo quis publico iudicio rei capitalis damnaretur, mortis pœna plectitur, (a) si reus ille ex eiusmodi testimonio capitis damnatus fuerit, alioquin arbitraria erit pœna. (b)

a) *l. 1. §. Prætere aff. ad leg. Cornel. de sicar. iunct. §. item lex Cornelia Inst. de public. iudic. Menoch. lib. 2. de arbitr. iudic. Cent. 4. cas. 306. num. 2.* (b) *per l. aut facta 16. §. euentus. ff. de pœnis, & fundamenta ad thes. 24. disp. præced. adposita, & Menoch. d. cas. 306. num. 20.*

XLII.

Falsi item monetarij, qui monetam falsam cudunt, formant aut permutatione, aliove titulo & modo adquirunt, & in fraudem proximi dolo rursus expendunt, flammarum exustionibus mancipantur: Et qui domos suas ad hoc scienter locant, earum amissionem sustinent.

l. 1. l. 2. C. de fals. monet. Peinliche Halsgerichtsordnung. Keiser Karls des V. artic. 111. vide Menoch d. lib. 2. Cent. 4. casu 316. num. 8. & 9. De his qui falsam monetam expendunt, agit idem Menoch. eod. casu, n. 51. & seqq. de valore monetarum vsualium vide Reichs abschied. de anno 1559.

XLIII.

Ceterum qui falsas monetas ære contaminatas ludendi causâ habet, vel in arca possidet, non ut expendat eam, non punitur.

Ita post alios sentit Menoch. dict. cas. 316. n. 62. & seqq.

XLIII.

Qui verò publicam eamque iustam & probam monetam circumcidendo, radendo, eam iusto pondere minuit; aut absque privilegio super cudenda, ferienda moneta etiam iusti ponderis & valoris facultatem sibi arripuerit, pro causæ conditione hodie vel corporali, vel pecuniaria pœna plectitur.

Peinliche Halsgerichtsordnung. dict. artic. 111. vers. welcher aber der Münz ihre rechte Schwere ic. Iure Iustiniano ob prius hoc crimen homo liber ad bestias dabatur; servus summo supplicio afficiebatur. l. quicumque 8. ff. ad leg. Cornel. de falsis. Menoch. d. casu 316. num. 34. & seq. Ob crimen verò posterius eodem iure ex Constantini constitutione reus igne comburitur. dict. l. 2. vbi Gloss. C. de falsa monet. Menoch. d. casu 316. num. 15. & seqq. & 26. & seqq.

XLV.

Qui tamen reprobam & minimè expendibilem (vt Dd. aiunt) monetam falsificat, non mortis, sed aliâ extraordinaria tenetur pœna.

Alex. consil. 104. vol. 1. & consil. 121. vol. 7. Menoch. dict. cas. 316. n. 19. & seqq.

XLVI.

Quæritur de eo, qui monetam excedentem iustum pondus circumcidit, radit, & ad iustum pondus redigit? Nos contra Alciatum & Marsilium pœnæ & hunc obnoxium dicimus.

per ea quæ scribit Menoch. dict. cas. 316. num. 38.

DISPUTATIO DE

XLVII.

Qui monetam reprobam tingit, vt pro iusta eam expendat, eadem tenetur poena, qua is, qui probam monetam radit.

l. quicumque 8. ff. ad l. Cornel. de fals. Menoch. dict. cas. 316. num. 42.

XLVIII.

Similiter qui alterius monetam frangit, & conflat, atque inde monetam viliozem facit, corporis aut bonorum poenam, pro causae qualitate & ratione afficitur.

Peinliche Halsgerichtsordnung. d. artic. 111. vers. wo aber irgend.

XLIX.

Quod si Magistratus aliquis cudendae monetae priuilegium habeat, & monetarios suos adulterinam & viliozem monetam ferire iubeat, ius suum hoc, ex eo amittit.

Peinliche Halsgerichtsordnung. d. artic. 111. vers. vltim.

L.

Qui autem coepit falsam percutere monetam, sed poenitentiam ductus non perfecit, non mortis poena, sed alia mitiori tenetur.

Per l. qui falsam 19. in princ. ff. ad leg. Cornel. de falsis. & docet post alios Menoch. dict. casu 316. n. 23. & seqq.

LI.

Qui mensuras publice probatas vini, frumenti, vel cuiuslibet rei corruptit, dolo malo fraudem fecit, vel relegatur, vel virgis caeditur, vel alia poena pro criminis qualitate afficitur. Quandoque etiam cum magnitudo falsi id desiderat, ex consilio Iurisperitorum, mortis poena plectitur.

l. annonam 6. §. vlt. ff. de extraordinar. criminib. l. pen. §. 1. ff. ad leg. Cornel. de falsis. Peinliche Halsgerichtsordnung. artic. 113. Menoch. lib. 2. de arbitr. iud. cent. 4. cas. 317. de hoc crimine vide etiam Leuiticum cap. 19. Item Ius Canon. in c. extra de empt. & vendit.

LII.

Notarius item, siue tabellio falsum instrumentum qui confecit, amputatione manus puniendus erit, & perpetuam infamiam notandus.

Arg. textus in tit. 55. §. callidis vers. scriba vero lib. 2. feudor. Nouell. 17. cap. 8. Nouell. 42. cap. 2. §. 2. in fine l. 3. C. de seruis fugitiuis, & tradit Mynsing. cent. 6. obseru. 65.

LIII.

Qui dolo malo signum adulterinum fecit, sculpsit, aut in tabulis

bulis, rationibus, alioque instrumento falsum commisit, pro qualitate & quantitate falsi, vel morte, vel alia corporali plectitur poena.

Peinliche Halsgerichtsordnung. artic. 112.

LIV.

Procurator litis falsarius, ut qui instrumentum litis aduersario prodidit, aut quid aliud in eius commodum, aduersus suum dominum egit, non modo omne damnum resarcire domino suo tenetur, sed & famosae columnae apponitur, virgis publice caeditur, & de prouincia exterminatur, vel quaedam alia poena, pro criminis qualitate, in eum conuertitur.

Peinliche Halsgerichtsordnung. artic. 115.

LV.

Testis in causa criminali studiosè falsum deponens, eadem plectitur poena, quam suo testimonio comparare ipsi reo voluit.

Peinliche Halsgerichtsordnung. artic. 68. Deuteron. 19. vers. 16. & seqq.

LVI.

Qui malitiosè limites siue terminos mouit, signa terminantia abscidit, abiecit, mutauit, ex consilio Iurisperitorum pro huius facinoris magnitudine, & causae, ac personae conditione, corporali poena afficitur.

Peinliche Halsgerichtsordnung. artic. 114. vide quoque fundamenta ad thes. 22. disput. 9. sub hac tertia classe.

LVII.

Vbi autem de falso eiusmodi aliqua specialis poena definita iure non est, ibi falsarijs & quasi falsarijs poena deportationis Iustini-
aneo Iure comparata est, si homines liberi fuerint ipsi rei; serui autem ultimo supplicio adfici iubentur.

l. 1. §. vlt. ff. ad leg. Cornel. de fals. §. item L. Cornelia de falsis. Institut. de publ. iudic. Iul. Paul. §. sentent. tit. 25. ad L. Cornel. testamentar. vide in primis Menoch. de arbitr. iud. lib. 2. Cent. 4. cas. 306.

LVIII.

Vnde eodem iure capitalem poenam suppositi partus, (a) non de poena mortis, (b) sed de portatione siue exilio interpretari conuenit. (c)

a) de qua in l. 1. C. ad L. Corn. de falsis. (b) Ut voluit Afflic. decis. 21. n. 8. (c) Menoch. d. lib. 2. de arbitr. iud. Cent. 4. cas. 306. n. 3.

Falsarius & quasi falsarius olim etiam bonorum publicatione multabantur. (a) Verùm Iure nouo bona ipsorum liberis, itemque parentibus vsq; ad tertium gradum reseruantur. (b)

a) *d. l. 1. §. vltim. ff. ad L. Cornel. de falsis.* (b) *Nouell. 134. c. vlt. & Auth. bona damnatorum. C. de bon. proscript.*

LX.

Est & illud hîc monendum, quòd testis, qui non circa substantialia, sed circa qualitates & accidentalia causæ falsum dixit, non ordinaria falsi pœna, sed extra ordinem iudicis arbitrio punitur.

Mench. d. lib. 2. de arbitr. iud. Cent. 4. cas. 307.

LXI.

Testis item pecuniâ corruptus, si contra dantem numos deposuerit, ex communi Dd. placito, pœna falsi non tenetur.

Myns. 6. obs. 67. n. 2.

LXII.

Sed in quæstionem vocatur, an præsumatur testis scienter vel ignoranter falsum testimonium dixisse? Et magis, est vt putemus, scienter ab eo fuisse falsum dictum.

Per argumenta quibus hanc conclusionem munit Menoch. d. lib. 2. cas. 308.

LXIII.

Quæritur & illud, an falsi pœna teneatur testis ex eo, quòd præcium accepit, vt testimonium diceret, vel non diceret? Veritati autem propior illorum est sententia, qui id negant, existimantes, extra ordinem hunc coerceri.

Per ea, quæ post alios contra quosdam scribit Menoch. dict. libr. Centur. 4. casu 310.

LXIV.

Certant quoque nostri de pœna eius testis, qui extra iudicium perhibuit testimonium affirmatum, negatum verò in iudicio, vel contra? Et quamuis contra Br. & quosdam alios, sentientes falsi pœnam in hunc etiam testem rectè conuerti, Bl. Alex. Didac. Couarr. Menoch. & alij, quos hîc memorat, leuiter arbitrio iudicis hunc testem coerceri statuunt, (a) attamen non dubitamus, quin iure etiam falsi pœna testis hic affici possit, modò alterutra vice dolo malo falsum dixisse probetur. (b)

a) vide

a) Vide Menoch. d. lib. 2. de arbitr. iud. Cent. 4. cas. 312. (b) Cùm enim testis falsarius pœna falsi teneatur, l. 1. in princip. & S. 1. S. 2. l. lege Cornelia 9. S. pœna legis. l. falsi pœna 20. ff. ad L. Corn. de fals. Myns. 6. obs. 67. n. 2. non videmus, cur non eque & hoc casu testis falsus pœna falsi plecti debeat. Volunt tamen Dd. nostri communiter, quòd praualeat testimonium iudiciale ei, quòd extra iudicium tributum est. Mynsing. 6. obs. 14.

LXV.

Vocatur in disceptationem (a) & illud, utrùm qui falsum commisit, absque dolo malo, iudicis saltem arbitrio puniatur, an verò nulla pœna plectatur? Nos mediam secuti viam, opinamur, eum, qui culpâ suâ in damnum alicuius falsum admisit, ciuilitertantum, ex quasi delicto ad resarciendum illud damnum teneri. (b)

a) vide Menoch. lib. 2. de arb. iud. casu 309. num. 6. in fine & n. 7. & seqq. (b) per textus adscriptos thesi 31. disp. 2. sub hac Classe tertia, iunct. argum. tit. Inst. de oblig. qua qu. ex del. nasc.

LXVI.

Est & illud notandum, quòd is, qui testamenti vel codicilli tabulas falsas dixit, nec obtinuit, ad defuncti iudicium adspirare non potest.

l. qui falsas 6. C. ad L. Corn. de fals.

LXVII.

Nec omittendum est hoc loco, quòd cum morandæ solutionis gratiâ, à debitore falsi crimen obijcitur, nihilominus salua executione criminis debitorem ad solutionem compelli debere.

l. 2. C. ad leg. Cornel. de falsis.

Parerga.

I.

LEGE Iulia de vi publica tenetur, & qui conuocatis hominibus vim fecerit, quò quis verberetur, & pulsetur, neque homo occisus sit.

l. qui dolo 10. S. pen. ff. ad leg. Iul. de vi pub.

II.

At lege Iulia de vi publica non tenetur, sed tenetur lege Iulia de vi priuata, qui conuocatis hominibus vim fecerit, quò quis verberetur, pulsetur, neque homo occisus erit.

l. 2. ff. ad leg. Iul. de vi priuat.

Pri-

DISPUTATIO DE CRIMINE FALSI.

III.

Priuatam vim committit, & lege Iulia de vi priuata tenetur, qui cœtum & concursum facit, quò minùs quis in ius producat.

l. 4. in princ. ff. d. t.

IV.

Publicam autem vim committit, & lege Iulia de vi publica tenetur, qui dolo malo facit, quò minùs iudex tutò iudicium exerceat.

l. qui dolo, 10. in princ. ff. de public. iudic.

V.

Iura libertorum, patronorum liberis, cùm pater eorum per duellionis damnatur, salua manent.

l. 4. ff. de iure patronatus. Sed ob stare videtur l. 3. ff. de interdict. & relegat.

FINIS DISPUTATIONIS
DECIMÆ QUINTÆ.

Ka 3071

(3/4)

ULB Halle

3

003 261 573



sb

Blind. 3/1.



Disputatio X V.
DE CRIMINE
falsi.

Q V A M,

Deo clementer adiuuante,

P R A E S I D E

CLARISSIMO
ET CONSULTISSIMO VIRO
DN. HENRICO BOCERO, V. I. D.

*& Professore, in illustri Tubingensium Academia, celebra-
tissimo, Praeceptore suo hono-
rando,*

ORDINARIJ EXERCITII CAUSA,
horâ & loco consuetis, pro ingenij tenui-
tate defendet

M MICHAEL BERINGER,
Vlbacensis.



TUBINGA,
Apud Georgium Gruppenbachium.

VH

M. D. XCVIII.

